

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica Solennis De Termino Salutis
Humanae Peremptorio**

**Neumann, Johann Georg
Green, Georg Sigismund**

Vitembergae, 1700

§. XI

urn:nbn:de:bsz:31-105555

per Christum in lucem produci curavit, ut publice predicaretur.
Eph. 1, 9. 2. Tim. 1, 9. 10. Vid. p. 804. seq. Quod monitum si penisi
 habuissent Dissidentes; hos omnes scopulos facile erant
 evitaturi. Sic ergo libri Symbolici, aliquando contempto-
 res suos gravissime ulciscuntur.

§. XI.

Cæterum & illud II. undiquaque observes; officium
 Legis atque Evangelii ab utroqve Dissidentium non di-
 stingvi. Quæ adeo confusio, ut plurimos, per omnia se-
 cula, errores, sic monstruosissimum hunc terminum salutis
 peperit. Lex enim, uti constat, terret, iram operatur,
 maledictionem item, pœnasque temporales juxta ac æter-
 nas homini interminatur. Unde etiam *dianovia rō gavdys*,
 Apostolo dicitur 2. Cor. 3, 7. Et hanc quidem in dolem a pri-
 ma statim promulgatione habuit: ut prævaricatori singulis
 horis ac momentis, gratiam salutemque æternam adimat;
 dicente DEO: *Quocunq; die comedes de arbore vetita, morte
 morieris. Gen. 2, 17.* Jam illi nostri gratiæ divinæ osores, ora-
 cula Legalia coacervant, & quasi nullum Evangelium pro-
 mulgatum sit, aut certe potentiam salvandi amiserit, ex
 comminatione & fulmine Legis, terminum salutis ho-
 mini figunt. Quod si Legis vim exaggerare velint, & se-
 posito Evangelio, de hominis salute ferre sententiam; non
 erat, cur in adultam ætatem protenderent hunc salutis ter-
 minum; cum ipsius infantiae & cuiusvis juventutis peccata
 mortem æternam mereantur. *Qui enim peccaverit in uno;
 in multis, leviter saltem offenderit, factus est omnium reus. Iac. 1, 10.*
 Et cur ex rigore Legis, non ponunt salutis terminum in
 ipso conceptionis momento? cum *in iniquitate conceptum;*
& in primo matris calore peccato se ingvinatum confiteatur, Re-
gius Propheta; ideoque projectum se a facie DEI agnoscit. Psalm.
51, 7. 13. Sed negat terminum hujusmodi fatalem Psaltes, ob
 mult-

multitudinem miserationem divinarum v. 3. adeoque in DEO salutis sua ponit refugium, gaudioque salutari reficitur, v. 14. 16. Itaque hoc Evangelii est, ut perennet gratia, in Christo fundata, nec ullo adeo termino, homini poenitenti salus præcludatur. Invitat enim omnes, qui Legis iugo onerati sunt, & laborant, ut refocillet eos Matth. 11, 28. Et potest salvare omnes credentes, at forte saltem illos, qui per vitam bene egerunt? non: *Judeos simul & Græcos i.e. Paganos:* at, o quantos peccatores! Rom. 1, 16. 23. 24. 25. 26. Jam, et si edictum Legis Protoplantis diem assignaverat mortis temporalis & æternæ, tamen Evangelium prorogabat hunc terminum, ut revo caretur profugus, & in Semine mulieris, Legi subjecto, jus filiationis conseqveretur, Genes. 3, 15. Gal. 4, 4. Ipsaque mors non interitus, sed transitus ad vitam æternam esset. Viciissim; Davidi præco Legis occentabat illud: *Tu es vir mortis:* simul ac vero ille poenitentiam ageret: *Peccavi Jehovæ:* illico dicebat hic: *Dominus quoque sustulit peccatum tuum, non morieris* 2. Sam. 12, 13. Ita Lex peccatori gratiam Dei quidem dubiam reddere, at terminum ponere, & illum quidem peremptorium non poterat: nec nisi ἄτερ γενόντος & οὐδεολόγως modus iste loquendi adhibetur: quia gratia DEI περισσεύει exuberat, Rom. 5, 20. ὑπερπλεονάζει, supra modum abundat. 1. Tim. 1, 14. opulentia gratie υπερβάλλει, supereminet. Eph. 2, 7. nec ullis proinde finibus terminanda aut circumscribenda est.

§. XII.

Jam igitur III. quod gratiam DEI attinet, concedimus utique, per peccata mortalia & proæretica, & inhabitantem, & justificantem gratiam excuti, totaliterque, ut loquimur, amitti; idque Analogia fidei, plurimis Scripturæ dictis & exemplis confirmat abunde. Sed utrum assens illa, ut vocatur, gratia, atque adeo omne auxilium gratiosum, homini semel iterumque & saepius lapsi, ante ipsum vitæ terminum, sub-